

6

pro leuitarum sustentatione. Et ultra hoc instituit decimam huius decime pro sustentatione summi sacerdotis. Hoc idem etiam observatum est in lege gratie circa dotationem ecclesie tempore siluestri per constantinum Imperatorem factam. Inter alias namque dotationes magnifice ab eo factis ecclesie expresse habetur in Cronica damasi. quod supra possessiones que erant in ytaliam egipto et alijs mundi partibus dedit et constituit in servicio luminum redditus annuos viginti octo milia et quadringentos sexaginta tres solidos. Postmodum autem quot dotationes facte sunt per reges et principes aliosque innumerabiles tam cathedralibus quam alijs ecclesijs monasterijs conventibus capellis et alijs locis atque personis diuino cultui dedicatis enarranti tempore deficiet dampnateque presumptionis iudicatur qui temerarie inculparet huiusmodi annuos census quos deuoti fideles in vita et in morte donant ad cultum dei per huiusmodi sperantes redimi peccata et saluari animas. Et si licet donare huiusmodi census per consequens et vendere et emi. Cuius enim est ius dandi eius est et vendendi. Et hijs omnibus patet quod contractus iste nulla lege reperitur prohibitus. sed potius lex diuina sicut et humana ecclesiastica. vel canonica et civilis expresse admittit ipsum leuitici. xxv. ubi dicitur. Quando vendes quippiam cuius tuo vel emis ab eo ne contristes fratrem tuum. sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo. et iuxta supputationem frugum vendet tibi. Quato plures anni remanserint post iubileum tanto crescet pretium. et quato minus tempus numeraueris tanto minoris emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. Et paucis interpositis sequitur. Terra quoque non vendet in perpetuum. ubi clare patet quod lex diuina prohibet fundum ut vineam aut agrum vendi. et concedit vendi fructus. cum dicat tempus enim frugum id est secundum glossam fruges que crescunt in tempore vendet tibi. Verum quomodo apud multos qui scripserunt in hac materia dubium est quid sit maris. aut id quod venditur et emitur in hoc contractu. Ideo pro solutione illius dubij. et declaratione rationis prime pro vltima parte conclusionis adducte. Atque pro maiori iustificatione contractus. Sequitur hec conclusio.

Secunda conclusio.